



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. VI. Vtrum possit sufficienter occurri defectibus circa celebrationem
huius Sacramenti occurrentibus statuta Ecclesiæ obseruando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Notandum 2. ceremonias in Missali Romano præscriptas, seruandas esse, vt patet ex diplomate Pij 5. exceptis Ecclesijs, quæ per ducentos annos continuò alio Missali vsæ sunt, quibus permittitur, vt iuxta ritum sui Missalis sacrum faciant. circa quod

Petitur 1. an sacerdotes illius Ecclesiæ vt possint Missali Romano?

Resp. posse, si priuatim celebrent, patet ex præxi etiam beneficiariorum, qui vtuntur Romano Missali, eiusque ceremonias obseruant non solum, dum celebrant extra propriam Ecclesiam, sed etiam dum celebrant in sacellis in propria Ecclesiâ, cum plerique canonici habeant Romanum Missale, quo vtuntur priuatim celebrantes. quantum ergo priuatim debeat vti Missali suæ Ecclesiæ in Missâ solemni in ijs Ecclesijs, quæ illud retinere possunt, non tamen ad id adstringuntur in Missis priuatis.

Petitur 2. an vtentes Missali Romano, quando absunt à domicilio, possint celebrare iuxta ritum receptum in loco, in quo versantur, etiamsi discrepet à Romano?

Resp. posse, quia possunt se conformare consuetudini loci, in quo versantur, quod non tantum intelligo de Ecclesiâ seculari, sed etiam de regulari, & dico religiosum, vel sacularem transeuntem per monasterium, quod vtitur alio Missali, quam Romano, posse in eo monasterio celebrare iuxta ritum ibidem receptum, neque videri hac in parte plus permittendum existenti in Ecclesiâ seculari, quam in loco regulari, quia non est potius priuilegium respectu religiosorum, quam respectu secularium, vt propterea sit dicendum externas personas posse celebrare in Ecclesiâ seculari iuxta illius ritum, non verò in regulari, cum singulæ Ecclesiæ non minus regulares, quam saculares relinquuntur antiquæ consuetudini, si per annos ducentos proprio Missali vsæ sint.

Ex quo deduco idem dicendum, si ritus celebrandi Missam in proprio loco & alieno, discrepet à Romano, scilicet aliquem foris existentem posse celebrare iuxta ritum receptum in loco, vbi celebrat.

Petitur 3. vtrum religiosus diuertens ad monasterium eiusdem ordinis, in quo seruatur ordo Romanus, teneatur secundum illum celebrare, si in loco habitationis alius ritus seruari soleat?

Resp. distinguendo. vel enim censetur domesticus in eo monasterio, ad quod diuertit, iuxta morem in illo ordine receptum, & tunc tenetur celebrare secundum ritum loci, in quo contingit illum agere, non verò secundum ritum proprii monasterij: vel iuxta morem religionis non censetur domesticus, eo quod domus, vel prouinciæ illius ordinis non censeantur peculiarem inter se hac in parte seruare correspondentiâ; quo casu dico probabiliter non teneri celebrare iuxta ritum loci, in quo versatur iuxta probabilem sententiam asserentem peregrinos non teneri legibus & consuetudinibus locorum, per quæ transiunt.

ARTICVLVS VI.

Vtrum possit sufficienter occurrere defectibus circa celebrationem huius Sacramenti occurrentibus statuta Ecclesiæ obseruando?

RESPONDET posse aliquo modo, occurrere. vbi Notandum defectus contingere vel circa substantialia, vel circa accidentalia: item vel posse præuideri periculum, antequam sacrum celebretur, vel aduerti tantum post sacrum inchoatū, vel etiam post consecrationem. Quod si defectus sit circa substantiam, v.g. materiā, & aduertatur ante consecrationem, v.g. si aduertatur deesse hostiam cōsecrandam, vel vinum, vel non esse indubitatam materiam, & materia certa non possit facile haberi, non potest sacrum inchoari, nec licet in eo progredi, si id notetur ante consecrationem.

Quod si post consecrationem aduertatur materiam fuisse illegitimam, vel dubiam, sumatur certa, fiatque consecratio: vt si desit vera hostia, vel ea sit dubia, accipiat certā, & consecratur, incipiendo ab illis verbis: *qui pridie quā pateretur*, vsque ad finem consecrationis panis, tum sacerdos pergat in Missâ, & post communionem vtriusque speciei ante abluitionem sumat eam materiam, super quam pronuntiauerat verba consecrationis. idem proportione dicendum de vino, si videlicet aduertatur post consecrationem vinum defuisse, vel merito dubitetur num sit vinū, materia super quā consecratio facta fuerat, ponatur in aliquo vase, & sacerdos sumat vinum cum aqua, & cōsecret incipiendo ab illis: *simili modo*, & post communionē vel sumat priorem materiam, vel in piscinam mittat.

Quod si defectus notetur post sumptam hostiā, scilicet vinum defuisse, S. Th. resp. ad 4. quem cōmuniter sequuntur Thomistæ, docet vt sumatur nouus panis cum vino, cui parum aquæ admisceri debet, & vtrumque consecratur, quod etiam tradit Missale §. 4. de defectibus in Missâ occurrentibus, n. 5. verum sententia Scoti dist. 8. quæst. 3. §. *Respondet*, sub finem, videtur cōmodior, scilicet eo etiam casu solum vinum accipiendum, cui modicissima aqua misceatur cōsecrandum, & sumendum. quod sequitur Nauar. cap. 25. num. 91. & Sotus dist. 13. q. 2. art. 6. ad 4. censet amplectendum cum publicè celebratur, tenentque varij recentiores.

Probat: eo casu id solum est faciendum, quod requiritur vt perficiatur sacrificium, ad hoc autem requiritur solius vini consecratio, & sumptio sanguinis, ergo. maior patet, eo casu totum id quod agitur, dirigitur ad sacrificium perficiendum, sen ne sacrificium in inchoatum relinquatur imperfectū. minor etiam patet, quia hæc solum defunt. Confr. si consecratur alia hostia, & vinum iam erit planè nouum sacrificium, non verò perfectio prioris, igitur consecratio nouæ hostiæ non debet fieri ad sacrificium in nostro casu perficiendum.

Dices 1. iuxta modum Scoti non potest ex vi cōsecrationis distinctè representari sacrificium cruciatum crucis, quam tamen representationem supra art. 1. dub. 8. censuimus pertinere ad rationē nostri sacrificij, & ideo requiri vtriusque speciei cōsecrationem, assumptum probatur iuxta illum modum non ponetur mysticè corpus separatim, & separatim sanguis, cum, antequā sanguis ponatur, corpus sumptum sit, & nō sit amplius modo sacri-

191.

Resp. affir.
Defectus
sunt vel cir-
ca substan-
tialia, vel
circa acci-
dentalia.

Post sum-
ptā hostiā,
si aduertatur
defuisse
vinum, non
videtur cō-
secranda no-
ua hostia.

Scot.
Nauar.
Sot.

Obiectio 1.
cōtra 2.
tam.

ficali, & mystico, siue remaneat in stomacho permanentibus speciebus, siue ijs desinentibus desinat secundum eam replicationem.

Resp. neg. assumptum; ad probationem dico etiam eo casu representari corpus Christi à sanguine mysticè separatim per consecrationem calicis, nam cum calix in ijs circumstantijs consecratur, satis ostenditur consecrari, ut ex eo & hostia prius consecrata resultet vnum signum distinctè & expressè significatiuum separationis corporis Christi à sanguine in passione.

Nec refert, quod priores species non sint amplius in altari; quia, ut per vtramque speciem intelligatur designari corpus Christi, & sanguinem fuisse separata à se inuicem in passione in rigore non requiritur coexistencia vtriusque speciei in altari, sed sufficit diuersa consecratio, quarum vna dicitur habitudinem ad alteram, quod in presenti reperitur, nam eo ipso quod consecratur panis, & sub eius specie ponitur corpus Christi cum intentione ponendi etiam sanguinem sub specie vini, consecrationes sufficienter dicunt ad se ordinem, & subsequens consecratio vini, ut respicit consecrationem panis, sufficit ad constituendum vnum signum expressè significatiuum sacrificij cruenti, quamuis prior species desinat esse in altari, antequam posterius consecratur, si totum fiat in eodem mysterio, seu officio, non verò quando prius ministerium censetur absolutum.

Obiectio 2. Dices 2. eo casu iuxta sententiam Scoti orationes, & ritus qui præscribuntur in Missali, adhiberi non possunt, cum pleraque dicenda sint & facienda etiam circa corpus.

Resp. id non obstat, & dico non idcirco consecrationem panis videri repetendam. Confit. si aduertatur vinum defuisse immediate antequam sumatur hostia consecrata, illa omnia, quæ ordinariè dicuntur, & sunt usque ad communionem, non videntur necessariò repetenda; ergo nec erunt repetenda in presenti casu, ratio est quod hæc solū pertineant ad quosdam ritus accidentales, qui non debent repeti, quando non possunt conuenienti modo, & ordine fieri. Regulas Missalis dico non continere strictum præceptum, sed solum esse directiones positas ex probabili aliquorum Doctorum sententia.

192. Maior est difficultas, si post consecrationem vtriusque speciei aduertatur hostiam non esse ex legitima materia, v. g. esse ex hordeo, an, inquam, eo casu sit repetenda consecratio vtriusque speciei? Suarez disp. 86. sect. 1. §. atque ex his, magis propendet ut fiat consecratio vtriusque speciei, eo quod ordo consecrationum videatur sacrificio essentialis, qui non seruaretur, si in eo casu non consecraretur vinum de nouo, sed neque hoc casu tam videretur perfici sacrificium inchoatum, quam nouum celebrari; vnde probabilius iudico etiam in presenti casu solam hostiam consecrandam, &

SHAY. Dico iuxta dicta supra art. 1. dub. 8. in fine, ordinem consecrationum non videri nostro sacrificio essentialem, eo quod nostrum sacrificium solum requirat, ut mysticè representetur victima sine sanguine, seu separari corpus à sanguine, quod fit in fine totius consecrationis, quæcumque partialis præcedat.

Videtur hostia sola consecranda, si consecrata vitæ, quæ speciei aduertatur ipsa non esse ex legitima materia. Ordo consecrationum non videtur sacrificio essentialis. Nec refert quod sine graui sacrilegio consecratio ita fieri ab initio non possit, quia multa non possunt fieri sine sacrilegio, si modo ordinario procedatur, seu antequam acciderit ullus defectus, quæ tamen supposito aliquo defectu fieri possunt abs-

que peccato. dicimus ergo ordinariè vinum non posse consecrari ante hostiam, si tamen inaduertenter prius sit consecratum, licere absque peccato progredi ad consecrationem hostiæ, ut perficiatur sacrificium, & hunc modum nihil continere incommodi, vel sacrificio repugnans.

Dices, Concil. Toletanum 7. cap. 1. docet sacrificium non posse videri perfectum nisi perfectionis ordine compleatur.

Resp. hoc caput nihil ad præsentem casum, vel etiam ad præcedentem facere, quia Concil. id solum docet, ut ostendat sacrificium ab vno inchoatum posse ab alio perfici, non obstante personæ diuersitate, non verò determinat de ordine consecrationis, quo casu extraordinariè vinum sit consecratum ante hostiam, & per ordinem perfectionis solum vult, ut sacrificium sit perfectum, debere compleri perficiendo id, quod omisum est, quamuis id etiam ab alio perfici debeat.

Dices, ex nostra doctrinâ sequitur, quod quo casu defectus fuerit in vtriusque materia, si quæ post consecrationem aduertatur, non sit necessariò sup-
plendus.

Resp. ita esse, si rationem sacrificij spectemus, & obligationem ortam iure diuino ad perficiendum sacrificium, quia nullum fuit sacrificij etiam inchoatum, ergo nulla est obligatio ex iure diuino illud perficiendi: inmodò, si sumpta sit hostia non consecrata videri possit sacerdotem non posse consecrare, & sumere, quia non est ieiunius, & proinde communicare non potest. Aliquorum tamen sententia poterit, quia, si sacerdos existens in altari recor detur se non esse ieiunium, potest pergere, licet id aduertat ante consecrationem. Quod si nec hostiam nec vinum sumperit debet aliam materiam accipere, consecrare & consecratam sumere, quia saltem lege ecclesiastica sacerdos existens in altari non debet communiter discedere, nisi sacrificauerit, & per consequens tenetur adhibere ea, quæ sunt necessaria ad sacrificandum. vnde in his circumstantijs potest accipere nouam materiam, consecrare, & sumere, potestque preces, & ritus antea adhibitos omittere, si sit periculum scandali.

Hactenus dicta, cum materia est illegitima, vel dubia, proportionem sunt seruanda si post legitimam consecrationem materia eorum patur, quod scilicet alia sit substituenda, & modo explicato consecranda ut sumatur, & hæc ratione compleatur sacrificium. idem dicendum si hostia vi venti vel aliter auferatur, nec facile possit recipi.

Quod si in his, & similibus casibus alia materia certa haberi non possit, post consecrationem etiam vnius speciei sacerdos debet pergere & sacrificium perficere eo modo, quo potest, illam speciem sumendo, videri potest Missale Romanum, de defectibus Missæ, §. 4. n. ultimo quia eo casu non tam operatur imperfectum sacrificium, quam permittitur se habet circa imperfectionem, cui non potest occurrere, de cætero illud quantum in se est perficiens per speciei consecrata summptionem.

Aduerte eo casu præmittendas orationes, & signa, quæ pertinent ad speciem deficientem.

Et hactenus dictum de supplendo defectu contingente circa materiam, nunc breuiter dicendum de forma, de qua

Dico, si constat sacerdoti quod formam consecrationis alicuius speciei non pronuntiarit legitime, ut quia absolute non protulit, vel omisit aliquid, quod pertinet ad substantiam formæ, de-

bet ipsam formam legitimè pronuntiare, siue id aduertat ante sumptionem specierum, siue post sumptionem speciei legitimè consecratæ &c. ubi idem proportione dicendum, quod iam de materia illegitimā dictum est; si enim sacerdos aduertat se non consecrasse hostiam, sed solum vinum, potest supplere consecrando solam hostiam, idem potest facere si sumplerit non consecratam. quod si sacerdos non recordetur, an consecrauerit, necne, non debet repetere consecrationem, nisi grauem habeat rationem dubitandi, vt quia solet se exponere periculo non consecrandi, vel omittendi verba necessaria ad substantiam formæ: eo enim casu debet formam saltem sub conditione repetere, alias vt dixi, non debet repetere, vt si solet communiter formam profert, quod contra scriptulos est notandum. videri potest S. Th. ad 5. & Sotus art. 6. citato, ad 5.

Casibus de materia iam recensitis aliquo modo similes videntur varij casus, in quibus interdum repetenda erit consecratio, vt si post consecrationem aduertatur materiam fuisse veneno infectam, vel inficiatur post consecrationem, vt si venenatum animal in calicem decidat; cum enim homo eo casu non obligetur sumere species veneno infectas, & nihilominus sacrificium quantum fieri potest, non possit relinqui imperfectum, sed debeat compleri sumptione vtriusque speciei, repetenda erit consecratio illius speciei quæ sumi non potuit. vbi

Aduerte, si animal venenatum inueniatur in calice, illud esse extrahendum, lauandum, comburendum, & cineres ponendos in piscinam, vel sub altari, species verò relictas post extractionem animalis decenter esse seruandas, vel stappa vel panno imbibendas, & vbi pannus &c. fuerit exsiccat, comburendum esse, & cineres in piscinam mittendos. Idem dicendum de hostiâ veneno infectâ, hæc enim decenter est seruanda, donec corruptatur, vbi verò corrupta fuerit in piscinam mittatur. vide S. Th. ad 3. & Sotum art. 6. citato, ad 3. Quod si animal, quod in calicem decidit, non sit venenatum, & sacerdos possit species sumere sine horrore, illo extracto, non est opus nouâ consecratione, sed solum seruanda sunt circa animal extractum ea, quæ iam notauimus, immo si animalculum sine horrore sumi possit, sumatur cum sanguine.

Si sanguis planè sit effusus, vt nihil restet sumendum, de nouo fieri debet vini consecratio. hoc casu si sanguis cadat in linteam, illud debet lauari, & ablutio mitti in piscinam: si cadat in tabulam oportet illam lambere, radere, rasuram combuzere, & in piscinam mittere, quod si solum cadat in lapidem consecratum, lapis solum debet lambi. Si hostia cadat in linteam vel alium locum, lauari debet, & ablutio mitti in piscinam.

Quod si hostia à mure comedatur vel ita rodatur, vt pars aliqua nondum tactâ à mure haberi possit, & possit sumi, non opus est consecrationem repetere, quia sacrificium perficietur sumptione etiam partis hostiæ: si verò hostia planè sit comesta, iteranda est illius consecratio, vt sumi possit. vtrius casu si mus haberi possit, comburendus est, & cineres in piscinam mittendi. vide S. Th. ad 7.

Sed an hostia extrahenda moraliter difficilimè fieri poterit, quod si possit commodè fieri, extrahatur & decenter asseruetur, donec corrup-

patur, corrupta in piscinam mittatur.

Contingit interdum sacerdotem euomere hostiam, vel sanguinem, eo casu consecratio non est iteranda, quia sacrificium fuit perfectum, tum consecratione, tum sumptione, hoc ergo casu sufficit species decenter seruari, donec corruptantur, vt mittantur in piscinam.

Contingere etiam potest, vt sacerdos moriatur; vel ita laboret antequam perficiatur sacrificium, vt illud vel debeat relinqui imperfectum, vel ab alio perfici; hoc casu si non adsit sacerdos, perfici non potest, neque laicus potest sanguinem sumere, nisi sub sit necessitas auertenda ab eo alicuius iniuriæ &c. vt ne ab hæreticis in terram projiciatur, vel aliquid simile. quod si adsit alius sacerdos, qui possit perficere communiter tenetur, etiam si non sit ieiunus, inde inchoando vbi alter desijt, & in dubio de consecratione, saltem consecrando sub conditione.

Quod si consecratio facta non fuerit, non est necesse alterum succedere, & pergere, videri potest D. Th. ad 1. & hæc de defectu substantiali.

Quoad defectus accidentales, quamvis pro rei grauitate diligenter sint præcauendi, si tamen sint commissi, non sunt repetenda ea, quæ omissa sunt. videri potest S. Thom. ad 5. & plures alij. quia non possunt conuenienter alieno ordine, & tempore adhiberi, & de cætero non sunt necessaria ad complementum sacrificij.

Dubitari tamen potest, quid faciendum sit sacerdoti, si post consecrationem hostiæ ante consecrationem calicis aduertat se aquam non posuisse in calice, nec ea commodè haberi possit.

Resp. peragendam vini consecrationem, quia perfectio sacrificij inchoati maioris est obligationis & necessitatis, quam commixtio aquæ cum vino in calice.

Dubitari etiam potest quid sit faciendum sacerdoti qui post consecrationem aduertit sibi imminere mortis periculum, verbi gratiâ, ab hostibus.

Resp. aliis intermediis omissis statim sumat Sacramentum.

Quomodo se possit gerere is qui facto inchoato recordatur se non esse ieiunum, vel sibi est conscius peccati mortalis, vel excommunicationis, quorum hic meminit S. Th. responsione ad 2. diximus quaest. 80.

Ad complementum huius materiæ non videtur alienum aliqua tractare de præcepto audiendi sacram. itaque

D V B I V M I.

An sit præceptum Missæ audiendi?

RESPONDEO esse ex consuetudine ecclesiasticâ, cum autem materia huius præcepti sit grauis, constat aliquos improbabiler existimare eius neglectum non esse mortalem, nisi oriatur ex contemptu formali, vel virtuali, qui tum deum censetur interuenire, cum sine legitimâ causâ aliquis assuefit omissioni sacri diebus præceptis, cuius sententiæ est Angelus verbo *seria*, numer. 42. Rosella verbo *Missæ*, num. 18. & paucialij, quos citat Azor 1. parte moralium lib. 7. cap. 1. quaest. 2. constat, inquam, eos improbabiler sentire, tum ex ipsâ grauitate materiæ, cum præcipiatur actus grauius pertinens ad cultum diuinum, tum ex communi Doctorum contrarium

Nō est iteranda consecratio si sacerdos euomit hostiâ, vel sanguinē.

195.

Difficultas proponitur.

Resp.

382.

196.

Angelus, Rosella, Improbabiler sentiunt.

Communis
sensus & v-
lus sufficit
ad grauem
obligatio-
nem indu-
cendam,
quâdo ma-
teria est ca-
pax.

sentientium, tum ex communi sensu Ecclesiæ, & confessoriorum vltimam qui vel semel sacrum neglexit die præcepto, cessante legitimo impedimento, condemnatur peccati mortalis, qui communis sensus, & vltus sufficit ad grauem obligationem inducendam, quando materia est capax.

Ex eodem principio etiam patet falli eundem Angelum verbo citato, num. 45. existimantem eum, qui die festo non potest interesse sacro, & concioni, potius debere Missam omittere, quam concionem, quod esse falsum, per se loquendo, patet ex eo quod sit præceptum audiendi Missam, non verò concionem, nisi quis ergo in ijs circumstantijs constituitur, quibus indigeat concione, vt quia aliter non potest instrui, non potest propter concionem sacrum omittere.

D V B I V M II.

Quinam obligentur eo præcepto?

197.

S V P P O N O non obligari nondum baptizatos, cum legibus ecclesiasticis non subiaceant; non etiam obligari summum Pontificem, per se loquendo: de cæteris breuiter.

Conclus.

Dicendum omnes baptizatos adultos & ratione vtentes, per se loquendo, obligari hoc præcepto. est communis Doctorum, & Ecclesiæ sensus, vnde non tantum laici, sed etiam clerici, non tantum seculares, sed etiam regulares hoc præcepto adstringuntur, quod confirmat vltus. Dico, adultos & ratione vtentes, quia carentes vltu rationis non tenentur eo præcepto, vnde pueri nondum vtentes ratione non tenentur sacrum audire; cum primum tamen rationis vltum attigerint, valentes saltem confusè honestum à malo discernere obligantur, & quamuis illi sapius possint excusari, si in his initijs sacrum non audiant, eorum tamen parentes non sunt excusandi, si negligant procurare, vt ij die Dominico, vel festo sacrum audiant: pastores etiam & confessorij debent huiusmodi obligationem illis in memoriam reducere.

D V B I V M III.

Quibus diebus sit præceptum audiendi Missam?

198.

Dies festi
partim sunt
iure intro-
ducti, par-
tim consue-
tudine vel
Episcopo-
ri statuto.

R E S P. omnibus diebus Dominicis & festis, hi autem festi dies partim sunt iure introducti, partim consuetudine vel Episcoporum statuto, & hi seruandi, quatenus & vbi lex, vel consuetudo viget, quod addo quia in iure lōgè plures festi dies decreti sunt, quæ nunc passim seruari videamus, & quibusdam locis hi seruantur, alibi alij. similiter iam ex consuetudine etiam vniuersali aliqui seruantur, qui non videntur in iure comprehendendi. videri potest canon primus de consecratione, dist. 3. & cap. vlt. de ferijs.

Dixi, vel etiam Episcoporum, quia hæc facultas conceditur Episcopis iuribus citatis; canone tamē citato dicitur: & illa festiuitates quas singuli Episcopi in suis episcopatibus cum populo collaudauerint; & cap. ult. citato dicitur: ceterisque solemnitatibus, quas singuli Episcopi in suis diocesis cum clero & populo dixerint solemniter celebrandas, quibus verbis indicatur requiri consensum cleri, & populi, vt festus dies ab Episcopo possint institui. verum quoad hoc iuri est derogatum, cum vltus obtinuerit, vt con-

sensus vel iudicium populi non requiratur, sed Episcopus cum Capituli consilio id valeat decernere. est tamen prudentiæ Episcoporum dies festos non multiplicare cum notabili grauiamine populi, & eo contradicente.

Nec solum possunt Episcopi dies festos fixos & perpetuos decernere, sed etiam pro exigentia causarum particularis possunt indicere pro vna vice celebrandos, quia eorum potestas non restringitur ad certum modum.

Ex hoc patet Concilium Prouinciale posse huiusmodi dies festos instituere.

Sed an possit abrogare festa antea constituta? Resp. si agatur de festis à se statutis id posse, cum potestas indicendi dies festos non competat Episcopo solum ex delegatione, sed potestate ordinaria, vt patet ex modo loquendi canonum, potestate autem ordinaria possit leges à se conditas abrogare, quemadmodum tamen ad statuendum requiritur consilium capituli, ita videtur requiri ad abolendum.

Resp. 2. idem videri dicendum de festis à iure, vel consuetudine statutis, saltem quoad minus principales, patet ex praxi variorum Episcoporum, qui sine scrupulo aboleuerunt festa à iure statuta, vnde licet inferior non possit communiter tollere, seu abrogare aliquid à superiore statutum, in hac tamen parte Episcopi aliquid possunt ex consuetudine, quæ illis fauet. Dixi, saltem quoad minus principales, quia non videtur posse quidquam mutare quoad principales. videtur etiam exigi grauior causa, quam requiratur vt tollant festos dies à se institutos, quia videtur ea mens tacita summi Pontificis in eam consuetudinem consentientis, qui non videtur consentire vt Episcopi cum consilio capituli possint pro arbitrio abrogare festa à iure, vel sede apostolica instituta.

Aduerte in aliquibus episcopatibus esse quosdam festos dies vsque ad meridiem, quibus etiam tenentur fideles sacro Missæ officio interesse: immo in quibusdam decerni dies, quibus teneantur Missam audire, quamuis eis concedatur, vt etiam tempore matutino possint laborare.

Hic quaeri potest, an, quando est festum particulare alicuius loci, peregrini ibi agentes teneantur sacrum audire? quaestio hæc pendet à resolutione dubij tractari soliti in materia de legibus: An peregrini teneantur legibus locorum, per quæ transeunt: in quo magis placet sententia affirmatiua, iuxta quam censetur probabilius esse peregrinos alibi agentes, vbi festus est particulare, teneri sacro Missæ officio interesse si commodè possint, quod addo, quia si tantum paruo tempore ibi hæreant, nec possint sacrum audire sine dispendio negotiorum ad quæ tractanda venerunt, non tenentur sacrum audire, similiter si quis obiter transeat per locum, in quo est festus particulare, vel si negotijs peractis discedat ex eo loco in die festi particularis, non est obligandus: quamuis enim videatur verius legislatorē posse etiam peregrinos obligare, non est censendus id velle nec rationabiliter potest, quando peregrinis morale incommodum oriretur ex legi obseruatione.

Aduerte sententiam negantem, quam tenent varij suā probabilitatem ostendere, iuxta quam probabile est eum, qui tanquam peregrinus in aliquo loco versatur ad paucos dies non peccare, si die festo particulari loci non interfuit sacro, seposito scandalo. Ex quo fit, vt non peccet aliquis non audiendo sacrum, etiam si in loco habitationis sit festus ex particulari constitutione, & similiter in loco, in quo degit tan-

Vltus obli-
gatur vt
confessor
populano
requiratur
ad festi in-
stitutionem.

Concilium
Prouincia-
le possit
dies festos
instituere.
199.
Diffinitio
Recip.

Nō videtur
Pontifici
consentire
vt Episcopi
cum consilio
Capituli
possint
pro arbitrio
abrogare
festa à
iure vel à
Sede apostolica
instituta.
200.

Legislator
non est
censendus
id velle
nec rationabiliter
potest, quando
peregrinis
morale incommodum
oriretur ex
legi obseruatione.
ex obseruatione
legis.

quam

quam peregrinus, ex particulari constitutione festum celebratur, ita ut constitutiones non se habeant per modum vnus communis pro vtroque loco, sed singula tantum cōcomitanter se habeant ad alteram, ut si in Diocesi Atrebatensi sit festum particulare ex statuto Episcopi, & eodem die ex particulari etiam statuto Episcopi sit festum Tornaci, ita ut statuta nullum ordinem ad se inuicem habeant, Diocesis Atrebatensis agens Tornaci ad paucos dies non peccabit sacrum non audiēdo, quia absens non tenetur legibus domicili, ut suppono ex tractatu de legibus, rursum ex probabili sententia non adstringitur legibus loci, in quo versatur tanquam peregrinus.

Dixi, quando lex vtriusque loci non se habet per modum vnus, quia si vna lex lata sit communiter pro vtroque loco, vtrius loco existat obligatur, ut si lex feratur in Concilio provinciali, tunc enim non sunt multae leges concomitanter solum se habentes, quarum vna respiciat hanc diocesim, alia aliam, sed est vna respiciens totam prouinciam per modum vnus ampli territorij: vnde quisquis incola illius territorij intra eius limites existit, ea lege adstringitur.

Ex dictis colligi potest quod incola alicuius loci, in quo est festum particulare, recedens ex eo loco tempore habili ad audiendum sacrum, non peccet si eo die sacrum non audiat, quia praeceptum eum solum obligat in tali loco saltem in finetemporis habilitate, ita ut non obligetur, si antequam vigeat praeceptum, subducatur potestati legislatoris vel legis, prout in praesenti casu contingit.

Dices, qui die Dominico prauidet sub meridiē superuenturum impedimentum tenetur prauenire, ita ut peccet, si sacrum eo die non audiat, quamuis alioquin posset differre auditionem sacri usque ad ultimam horam, quā sacra eo loco celebrari solent, ergo idem dicendum in praesenti casu.

Resp. neg. consequentiam, quia in casu argumenti homo toto tempore habili ad sacrum audiendum seu ad executionem praecepti subiicitur legi, cum sit in loco, in quo lex viget, & quā etiam illud contingit, quamuis propter causam extrinsecam possit pro aliquo tempore excusari ab executione praecepti. vnde mirum non est si eo casu prauidens impedimentum teneatur prauenire, quia lex eum obligat, ut intra tempus habile satisfaciatur in nostro verò casu, antequam lex vigeat, subducitur eius potestati, & definit illā obligari non minus, quā alij, qui legi non subduntur.

Petes, an sit multiplex peccatum Missam omittere in Dominica, in quam festum aliquod inciderit: quaestio haec etiam pendet ex illā, num pluralitas legum inducat diuersitatem peccatorum, seu, an quando de eadem re multae sunt leges, transgressio contineat multa peccata? in quā probabilis est responsio negativa, iuxta quam Resp. hic vnum numero peccatum committi.

Dices, hic non tantum inueniri multiplicationem legum, sed etiam rei praecepta, nam in die festo precipitur cultus sanctorum.

Resp. neg. assumptum, quod enim precipitur tam in Dominica, quā in festo, est auditio sacri, & cultus diuinus, atque ita res praepcepta in vtraque lege est eadem, & idem motuum proximū vtriusque legis, quia etiam in die festo precipitur auditio sacri, prout obiectiue est cultus diuinus, non verò precipitur cultus sancti, quamuis Ecclesia intendat, ut id etiam redundet in honorem sancti, sed est finis extrinsecus praepcepti, qui actum ip-

sum praepceptum in se non mutat, nec transfert in aliam speciem.

D V B I V M I V.

Quid precipiatur per legem de audiendo sacro?

Resp. ex communi Doctorum sententiā precipi auditionem integri sacri, prout in Ecclesia celebrari solet, nimirum ab initio vsque ad finem inclusiue, veriusque est, postquam ordinatum est ut in fine sacri legatur Euangelium secundum Ioannem, precipi ut etiam illud audiat.

Confirmari potest ex can. *Missas*, de consecratione, dist. 1. ubi praecipitur, ut tota Missa audiantur. videri etiam potest can. *omnes fideles*, eadem dist. & ita declarat consuetudo ecclesiastica, non tamen praecipitur, ut audiat sacrum solemne, sed sufficit audire priuatum in aliquo sacello: non etiam requiritur, ut audiat sacrum quod celebratur de die, sed sufficit quodcumque audiri, v.g. votiuum, vel de defunctis.

Dices, can. *Et hoc* de consecratione, dist. 1. dicitur: *Et hoc attendendum est, ut Missa peculiari, quae per dies solemnes à sacerdotibus sunt, non ita in publico fiant, ut propter eas populus à publicis Missarum solemnibus, quae hora 3. canonice sunt abstrahatur, sed sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe sunt, & populus in vnum ad Missarum publicam celebritatem conueniant.*

Resp. illum canonem vel nunquam habuisse vim legis, sed tantum cuiusdam consilij, vel certe contrariā consuetudine abrogatum.

Quamuis sit obligatio sub mortali Missam audiendi, ita ut qui totam negligit nullo subsistente impedimento, vel nullā causā excusante, peccet mortaliter, non tamen incurritur peccatum mortale, si aliqua parua pars sacri sine causā omittatur, ut communiter tradunt Doctores, sed solum, cum pars notabilis omittitur, quāquam autem praecise ea sit, non ita constat inter Doctores, illud omnino certum est voluntariam omissionem dimidia partis sacri esse mortalem, immo & tertiae. quoad aliam res non ita est certa. communiter traditur eum non peccare mortaliter, qui venit, antequam legatur epistola, vel etiam, cum ea incipit legi. aliqui etiam addunt non esse mortale quamuis aliquis veniat circa finem epistolae. videtur insinuare Nauarr. cap. 21. num. 2. tenet Sotus dist. 13. quaest. 2. art. 1. §. 1. at quia Suarez disput. 88. sect. 2. §. secundo sequitur, Azor 1. parte moralium, lib. 7. cap. 3. quaest. 2. Immo Henriquez lib. 9. cap. 25. num. 7. addit Euangelium, similiter Sa verbo *Missae auditio*, num. 2.

item sentiunt esse probabile, quod is, qui venit ante finem Euangelij non peccet mortaliter, sed haec extensio est nimia & merito rejicienda, prout reijcitur à Nauarr. supra, Toledo lib. 6. cap. 7. num. 6. quia tanta pars morali iudicio censetur notabilis, & est plusquam pars quarta. vnde longè potiori ratione rejiciendum est quod refert Sa eodē num. & videtur approbare, scilicet eum non peccare mortaliter, qui audit Missam ab Euangelio vsque ad communionem. quamuis enim is, qui interfuit sacro ab initio, & discedit immediatē post communionem, excusetur à mortali, improbabile tamen est eum excusari, qui simul omittit totum vsque ad Euangelium, & ea quae communionem subsequuntur, quamuis etiam à mortali possit excusari.

Suar. Vult non peccare mortaliter qui audit totam epistolam, & dicitur post communionem.

204.

Obiectio.

Resp.

Id censetur notabile in sacro audiendo, quod censetur conficere notabile eius partem.

205.

De ijs qui occupantur circa necessaria sacrificio.

Silu. Tolet. Sa.

Azor excusat a mortali eos, qui toto tempore

qui aliqua ex initio, & ex fine relinqueret, si simul iuncta non efficerent notabilem partem. quando autem pars censetur notabilis, videtur pendere à prudenti iudicio. Suarez sect. citatà censet eum qui audit totam epistolam non peccare mortaliter si post communionem recedat, quia epistola facile æquivalet orationibus, quæ recitantur post communionem.

Aduerte 1. facilius contingere mortale, si quis diutius absit, quando actiones magis substantiales peraguntur, v.g. si quis absit ab initio canonis vsque ad orationem Dominicam vix excusari poterit à mortali, quia spectata conditione actionis, & morà censetur notabilem partem sacri omittere.

Dices, videri incurri mortale, quamuis longè minores partes omitantur: nam si sacerdos aduertens, vel saltem ex negligentia crassa omitteret omnes Collectas ante epistolam &c. vel etiam oblationem, peccaret mortaliter, ergo etiam is, qui tanto tempore sacro non interesset. consequentia probatur, ideo sacerdos mortaliter peccaret, quod censetur aliquid notabile omittere, atqui alius absens, dum hæc peraguntur, censetur abesse à re notabili, cum non sit potior ratio, cur id censetur notabile in ratione agibilis, quam in ratione audibilis.

Resp. neg. consequentiam, ad probationem dico quod ex alio capite spectetur in ministro quid sit notabile, ex alio verò in audiente. res enim censetur notabilis per ordinem ad actionem ministri, quæ grauem habet significationem, vel est peculiariter intenta ab Ecclesià ad imitationem Christi Domini, qualia sunt verba oblationis ante consecrationem, item mixtio aquæ cum vino in ordine verò ad audientem spectatur ex quantitate partis, seu actionis, & orationis, quid tanquam pars notabilis audiatur vel non audiatur. quia enim Ecclesià præcipit totum sacrum audiri, id censetur notabile in sacro audiendo, quod censetur cōflare notabilem eius partem. quod verò non censetur talem partem constituere, non censetur notabile.

Confir. nullius iudicio mortaliter peccat, qui abest dū aqua vino infunditur in calice, si tamē sacerdos omitteret aquam vino miscere in calice, omnium iudicio, per se loquendo, mortaliter peccaret.

Aduerte 2. quod dictum est mortaliter peccare eum, qui omittit notabilem partem sacri, non intelligi de ijs, qui sacro inseruiunt, & occupantur in deferendis necessarijs sacrificio, v.g. aqua, thure &c. quamuis enim hi varias sacri partes non audiant, vel percipiant, communi Doctorum sententiā, præcepto satisfaciunt, & censentur assistere toti sacro, cum toti inseruiant. videri potest Silu. verbo *Missæ*, 2. quæst. 1. Toletus cap. citato, num. 7. Sa num. 2. citato, ij tamen non debent diutius abesse, quam exigat ministerium. vnde, si cum possint commodè redire, terant tempus fabulis, vel alijs rebus inutilibus; non censentur pro eo tempore sacro assistere, 2. debent bonā fide procedere, non reseruando in illud tempus, quod alijs commodè præstari potest; si tamen negligentia in his rebus suo tempore procurandis non fuerit notabilis, excusabuntur à mortali. Suarez sect. citatà §. ex hac, in fine, censet quod si in his magna pars sacri esset impendenda, deberent aliud audire, sed quamuis sit omnino consulendum, si commodè fieri possit, non tamen videtur necessarium ad mortale peccatum euitandum, vt notauit Azor cap. 7. quæst. 1. qui censet etiam eos qui occupantur toto tempore sacri in

rebus sacrificio apparandis excusari à peccato, si non sint alij qui possint ea præstare. & indicat Silu. supra, & alij generaliter loquentes, fauetque ratio allata, quod scilicet hi suo modo sacrificio assistat, toti sacro inseruiantes.

Id verò non intelligo de ijs, qui non censentur sacro inseruire. vnde non censet eos sacro assistere, & præcepto satisfacere, qui in primarijs Ecclesijs diebus solemnibus candelas per Ecclesiam tempore summi sacri accendunt, si in hoc officio multum temporis infumant, ita vt magna pars sacri absoluantur, dum in eo munere versantur.

Idem potiori iure dicendum de quæstoribus eleemosynarum, cum ij fungendo suo munere multò minùs censentur sacro inseruire. nam illud officium nullo modo ex institutione Ecclesiæ subseruit Missæ sacrificio, sed ideo tempore summi sacri exercetur, quod tunc plures conueniant, & proinde plures eleemosynæ fieri soleant, quod est admodum impertinens ad sacrificium. itaque si magnam partem sacri in hoc munere infumant, debent aliud sacrum audire, nisi fortè consuetudo sit in contrarium excusans eos qui tali publico pietatis officio tempore summi sacri destinentur, quia alijs omnino pauci inueniuntur, qui vellent illud onus subire.

Dubium est, num is, qui aliquam partem omittit, censetur satisfacere si eam legat, vel ab alio legi audiat? 2. an saltem satisfaciatur, si tantum ex alio sacro audiat?

Quoad prius Nauarr. num. 2. citato censet satisfacere. sed id videtur omnino improbabile, nam talis lectio nec est pars sacri, nec vllam cum sacro habet connexionem.

Confir. sacrum, & omnis eius pars debet fieri, & recitari à ministris ad id deputatis. 2. si quis ita posset priorem defectum supplere, ad id obligaretur, quando præstare posset, vnde qui inculpate mediam partem sacri omiserit, teneretur illam legere, vel audire legi, cum hac ratione præceptum posset adimplere, hoc autem dici nequit, præterea ea pars vbi legi debet? an in templo, an priuatim domi? postterius dici nequit, cum actio illa sacra non debeat in priuatis aedibus exerceri: prius etiam dici non debet, vel enim deberet legi in altari, vel alibi; in altari solus publicus minister legere potest, lectio alibi facta est omnino impertinens. vnde sententia Nauarr. nullo modo est sequenda, quamuis Sa num. citato illam innuat.

Quoad posterius varij censent eum satisfacere præcepto audiendi Missam, ita saltem vt non peccet mortaliter, vt si quis v.g. audiat vnā parte aliquius sacri suppleat quod reliquum est in alio sacro, vt si quis audierit vsque ad consecrationem, reliquum audiat in alio sacro. ita Nauarr. num. citato, Sotus §. *at quia*, citato, Toletus cap. citato num. 8. Henriquez cap. citato num. 8. Sa num. citato, quod licet propter Doctorum auctoritatem sit securum, tamen rem speculatiue considerando videtur longè verius non satisfacere, & teneri aliud sacrum audire, si possit, quia duæ illæ partes nullam inter se habent connexionem, neque propterea aliquis dici potest audiuisse Missam, sed partes diuersarum Missarum.

Confir. ex eā sententiā sequitur, quod possit satisfieri præcepto simul audiendo partes duarum Missarum, si vnus incipiat, cum alter versatur in medio sacro. quare speculatiue verius est talem debere de nouo Missam audire. ita Suarez sect. citatà §. *sed inquiri*, Azor lib. 7. citato cap. 3. quæst. 3.

Ex dictis

DIO.
Petissio.

Resp. neg.

Suarez.
Azor.

Petes, an saltem teneantur illas adire, vt concionem parochialem audiant?

Resp. praxim etiam timoratorum, quæ est optima legum interpretis, declarare ad id non teneri, quod docent Suarez suprà, Sa num. 1. Azor cap. 3. quæst. 7. lib. citati, qui dicit esse communem, patetque ex declaratione Cardinalium in cap. 4. citatum sess. 24. §. *monet Episcopus*.

Dices, cur ergo ita loquitur Trid.

Resp. vt inculcet obligationem audiendi Verbum Dei, & doctrinam Christianam, & ea quæ sunt ad salutem scitu necessaria, quod quia communius, & frequentius fit in parochia, illius mentionem facit, quo tamen non obstat si quis aliunde horum habere possit notitiam, per se non peccat non audiendo concionem parochialem.

Corollar.

Ex his omnibus patet Episcopos non posse statuere, vt fideles diebus festis saltem aliquibus sacrum in parocia audiant, quod tenent Silu. & Nauarr. suprà, Suarez sect. citatâ §. *sed imprimis quid sit*, Azor cap. 6. quæst. 6. & alij, atque adeo, si ferant excommunicationem in eos, qui non audiunt sacrum in parocia, eam esse nullam, tum quia non possunt quidquam statuere contra priuilegia à Pontificibus concessa, tum quia non possunt etiam vniuersales consuetudines abrogare. videri potest declaratio Cardinalium in cap. 4. citatum, qui censent Episcopum non posse pœnis propositis ad id adigere.

Episcopi nihil possunt statuere contra priuilegia à Pontificibus concessa &c.

211.

Petissio.

Resp. affir.

Qui per priuilegiū redditur habilis ad præceptum implendum, tenetur vi.

Petes, an qui habet priuilegium tempore interdicti audiendi sacrum, teneatur illud audire, vt satisfaciatur præcepto audiendi sacrum? Quidam negant, quia nemo tenetur vt priuilegio, sed alij longè probabilius existimant obligari, quamuis enim, per se loquendo, nemo teneatur vt priuilegio, qui tamen per priuilegium redditur habilis ad præceptum implendum, tenebitur eo vt, quia præceptum obligat, vt adimpleatur ab eo, qui potest sine indecentia adimplere, prout in præfenti fieri potest.

Confir. si cui in carcere constituto daretur libertas diebus Dominicis sacrum audiendi, is non minus teneretur sacro interesse, quam ceteri, & quibus diebus festis tempore interdicti licet fidelibus per moderationem Ecclesiæ sacrum audire, hi tenentur sacro interesse, vt præcepto satisfaciatur, igitur in nostro casu aliquis tenetur sacro interesse vt satisfaciatur præcepto, quod potest adimplere sine indecentia.

212.

Petissio.

Petes, vtrum aliquis ad satisfaciendum præcepto de audiendo sacro, teneatur audire sacrum publici concubinarij, vt si in aliquo pago sit solus pastor publicus concubinarj, qui nihil opus celebrare solet, an parociani non valentes commode aliud sacrum audire, teneantur die Dominico, aut festo eius sacro interesse vt præcepto satisfaciatur?

Can. Præter hoc.
C. a. Nullus.
Cap. Vestræ.

Suppono 1. publicum concubinarium per Ecclesiam prohiberi sacrum facere, vt patet ex constitutione Alexandri 2. dist. 32. can. *præter hoc*, quo canone & can. *nullus*, qui est Nicolai Pontificis, eadem dist. fideles districtè prohibentur talis Presbyteri Missam audire, quod etiam prohibetur cap. *vestra* & cap. ultimo de cohabitatione clericorum, & mulierum.

Suppono tamen 2. post Concilium Constantiense nos non teneri huiusmodi publicos concubinarjos evitare, nisi sint per sententiam specialem condemnati, seu denunciati, ita vt, per se loquendo, non peccemus si audiamus Missam con-

cubinarj non denunciati, vt patet Extrau. ad enitanda.

Ex quo oritur ratio dubitandi; non peccamus audiendo Missam talis concubinarj, & per huiusmodi auditionem possumus præcepto Ecclesiastico satisfacere, ergo iuxta ratiocinationem paulo ante à nobis factam tenemur eam die Dominico, vel festo audire, & ita sentit Suarez disp. citatâ, sect. 6. §. *ultimum caput*.

Verum videtur probabilis nos non teneri, licet enim non teneamur vitare huiusmodi concubinarj, vel eius Missam non audire, spectatâ tamen prohibitionem Ecclesiæ, quâ vetatur celebrare, est minus decens, vt audiatur sacrum talis concubinarj, non dico id culpam continere, sed esse minus congruum.

Confir. 1. Ecclesia non videtur nos velle obligare ad audiendam Missam illius, qui contra eiusdem prohibitionem celebrat.

Confir. 2. ex ijs quæ ipsemet Suarez tradit eadem sect. §. *secundum caput*, docet enim habentem priuilegium, vt domi suæ in Oratorio sacrum audiat, non teneri ibi audire, vt præcepto satisfaciatur, si forte alibi audire non possit, quia audire Missam in domo priuatâ minus decet reuerentiam debitam huic Sacramento, quæ ratio moralis longè potiori iure locum habet in nostro casu. Idem propter eandem rationem dico de excommunicato, suspensio diuinis, interdicto, quorum Missas non tenemur audire, vt satisfaciamus præcepto Ecclesiastico, quamuis, si non sint specialiter denunciati, non teneamur eos fugere.

Ad rationem in contrarium Resp. ratiocinationem à nobis factam valere, quando spectatâ Ecclesiæ constitutione, vsus priuilegij nihil continet minus congruum, quod hic non est.

De illo casu Suarez dubitari posset, & fortè propter contrariam consuetudinem eius doctrina varijs in locis non videtur admittenda.

DVBIUM V.

Quid sit necessarium vt hoc præceptum censeatur adimpleri, seu, qui actus ad hoc requirantur?

VARIA in hoc titulo possunt comprehendere. 1. an qualibet præsentia sufficiat ad hoc, vt aliquis sacrum censeatur audire? 2. an requiratur voluntas præcepto satisfaciendi? 3. an requiratur interior attentio ad res diuinas.

De primo constat inter Doctores non sufficere quamlibet corporale præsentiam, sed requiri eam, quâ censeatur aliquis modo humano esse præsens Missæ; nullus enim censetur implere legem attentionem, nisi actum lege præceptum morali modo ponat, cum leges dentur de actibus moralibus, vt de qui dormit tempore sacri non satisfacit præcepto de audiendo sacro, similiter qui alia plane negotia pertractat, qui scribit, negotiatur &c. quia talis nullo modo dici potest moraliter præsens actioni sacri, cum etiam posteriores exterioris exteant actiones impossibiles exteriori præsentia religiosa respectu sacri.

Ex quo deducitur eum, qui magnâ parte sacri confiteretur, non satisfacere huic præcepto; vt expressè docent plures, & ratio est, quod hæc actio religiosa moraliter etiam exterioris impedit morallem præsentiam, quam aliquis debet adhibere respectu ipsius.

Itu ipsius sacri. videri potest Azor tomo 1. moralium institutionum lib. 7. cap. 7. q. 8. qui censet etiam confessionem praecipiam, quae in aliud tempus commodè differri potest, non posse institui tempore sacri, si nullum aliud sit faciendum, quod audiiri possit institui verò posse, si non possit, in aliud tempus differri. sacrum verò debere potius audiri, quàm institui voluntaria confessionem. Suar. tom. 3. in tertiam partem disp. 88. sect. 6. §. septimū caput, qui cum retulisset aliquos excusantes eum, qui tempore Missae confitetur peccata sua, maxime si eo tempore habeat copiam confessionis, quam postea cum difficultate obtineat, addit: sed huiusmodi excusationes, et similes, per se, ac moraliter loquendo, insufficientes sunt, quia opus praecipi non est omittendum propter huiusmodi voluntaria opera, etiam si viliora fingantur, &c. Igitur huiusmodi casus solum habent locum, quando

urget aliqua moralis necessitas. Cū quibus censo ex tra casum moralis necessitatis eū, qui magnā parte sacri sua peccata confitetur die Dominico vel festo, obligari ad aliud sacrum audiendum.

Neque praxis, quae in contrarium afferri posset, videtur excusare, cū ea non sit ita indubitata, ut possit censeri praevalere praecipto, cū neque Doctores, neque docti & timorati confessarii, iudicet talem esse praxim, quae confitentem magnā parte sacri excuset ab alterius sacri auditione.

Hinc etiam est; quod aliquis non possit simul sacrum audire & concioni interesse, & proinde eum, qui exterius ita se habet, ut exterius censeatur concionem audire non satisfacere, si forte eo tempore sacrum celebretur.

Non etiam satisfacit, qui magnā parte sacri fabulatur, ita ut non attendat ad ea, quae sūt. si interdum solum cum aliquo colloquatur, non peccat mortaliter, non peccat etiam mortaliter quando colloquium non impedit attentionem sufficientem. videri potest Sotus dist. 13. quaest. 2. art. 1. §. hinc colligitur

Notandum tamen non requiri, ut quis audiat ea, quae legit sacerdotes, vel videat quae agit, quia sine his actibus potest aliquis dici morali & communi iudicio sacro interesse, aliis surdus, & caecus non possit dici sacrum audire, similiter nec is, qui remotus est à sacerdote.

De secunda quaestione est sententiarum varietas, qui enim censent ad hoc, ut fiat satis praecipto affirmatiuo requiri voluntatem saltem confusam illud implendi, hi consequenter requirunt voluntatem satisfaciendi praecipto Ecclesiae per sacri auditionem.

Sed multi alij id negant, quorum sententia est verior, quia superior praecipiens, ut sacrum diebus festis audiat, pro obiecto sui praecipi solum habet moralem actum audiendi sacrum, qui actus poni potest sine voluntate satisfaciendi, ut patet. & Confir. moralis auditio sacri non necessarīo pendet à voluntate satisfaciendi, tanquam à principio morali, ergo sine tali voluntate potest poni. Vnde qui nihil sciens de die festo audit sacrum ex devotione, satisfacit praecipto de Missa audienda, quamvis non intendat satisfacere, nec postmodum tempore habili ad sacrum audiendum id referat ad praecipi impletionem.

Sed quid si per talem auditionem nolit satisfacere? plures in hoc casu negant satisfacere, nisi tempore habili mutet voluntatem, & opus praetertitum referat ad praecipi impletionem. ita Suárez disp. 88. sect. 3. §. circa posteriorem partem. Sed plures, quibus ipse subscribit tomo 2. de religione,

lib. 4. de oratione cap. 26. num. 8. censent absolute etiam in hoc casu praecipto satisfieri, quod videtur omnino verius, quia non obstante tali voluntate verè moraliter ponitur opus lege praescriptum, quod solum intendit legislator.

Dices, talis non vult legem implere, & proinde non potest dici legi obedire.

Resp. solum non velle voluntate inefficaci, & Resp.

quae per realem moralem operis positionem destruitur, & dico illum verè legi obedire. cū ea solum requiratur opus à se praescriptum moraliter poni, quod hic praestat, non obstante illa voluntate, quae apud se statuit legem non implere per hunc actum. vnde qui die festo cum tali proposito sacrum audit, non tenetur aliud audire.

Dices, qui audiret sacrum, nolens satisfacere voto quo promissit Deo sacrum audire, non satisfaceret, ergo nec satisfacit in nostro casu.

Resp. neg. consequentiam, quia qui aliquid promissit, potest suā voluntate in antiquo debito permanere, quod facit, dum non vult per aliquem actum voto satisfacere; lex verò, quae vim suam non habet à voluntate priuati, sed à superiore decernente aliquid fieri, non potest particularium voluntate vim suam retinere, si ponant opus à superiore praescriptum, vnde quacumque intentione illud ponatur satisficit legi.

De tertia etiā quaestione est varietas opinionum. Quaest. 3.

Notandum triplicem à Doctoribus in praesenti materia attentionem distinguere. vna est ad verba, vel actionem sub ratione saltem confusae rei sacrae, & cultus religiosi, altera est attentio ad sensum, & significationem verborum vel actionum. tertia est ad Deum per considerationem rerum caelestium, vel diuinorum mysteriorum. secunda non requiritur, cū multis sit impossibilis. tertia, quamvis sit excellentissima, non etiam exigitur. Quaestio ergo est de primā; vtrum, si quis non possit, vel nolit alias adhibere, teneatur illam saltem praebere? Hae communius exigunt Doctores saltem virtualiter remanentem, ita ut homo non distrahat interius voluntariè, quia aliter non potest dici morali, & religiosa sacri auditio. Hae sententia est pia, & omnino suadenda, ut scilicet homo accedat ad sacrum ex animo saltem confuso, Deum colendi, & ad ea quae in sacro geruntur attendendi, quae voluntas non mutetur per voluntariam ad res alienas euagationem.

Non est tamen improbabile, quod censent aliter sufficere moralem exteriori praesentiam quā aliquis saltem confusè initio velit se praesentem sacro sistere ad Deum colendum, quia talis moralis praesentia orta ex hac, vel confusè initio simili voluntate est obiectiue Dei cultus, & ratio ne illius aliquis sufficienter dicitur moraliter sacro interesse, & sacrum audire. Vnde is, qui magnā parte sacri interius voluntariè distraheretur, non videretur mortaliter peccare, si nihil exterius lendum. ageret impossibile praesentiae morali descriptae. videri potest Silu. verbo Missa, 2. quaest. vltima, & Azor lib. 7. cap. 5. quaest. 2. qui plures citat pro secunda sententia quamvis adhæreat priori.

Dices, ea, quae diximus, arguunt interiori attentionem requiri.

Resp. neg. assumptum, & dico requiri, ut nihil

agatur exterius impossibile, ut exterior praesentia censeatur moralis, & cultus remans ex praecedente voluntate. qui enim exterius voluntariè occupatur in rebus à sacro reuocantibus, non

potest

Obiectio.

Resp.

Quaest. 3.

215.

Triplex à

DD. assi-

gnatur at-

tentio in-

terna.

Probabili-

ter sufficit

moralis ex-

terna pra-

sentia, quā

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

quis saltem

potest dici etiam exteriori Deum colere, & remanere virtute in priori voluntate sacro moraliter assistendi, qui verò remanet in exteriori compositione à nobis descripta, potest dici exhibere externum cultum ex priori voluntate ortum, qui cultus ex sua specie bonus est, nec excludit internum, quem ponit alia sententia, quamvis illum non necessario exigit.

Ex his patere potest resolutio questionis, quam varij proponunt, vtrum aliquis satisfaciat precepto de audiendo sacro, qui tempore sacri legit horas, ad quas obligatur, v.g. horas canonicas? Negant Angelus verbo *serm.* num. 46. Silu. verbo *Missa* 2. quæst. vltimâ, Fumus eodem verbo num. 39. & alij.

Satisfacere affirmant Sotus dist. 13. quæst. 2. art. 1. §. ex *his*. Toletus lib. 6. cap. 6. in fine, Suarez sect. citatâ in fine, Henriquez cap. 25. num. 2. Azor lib. 7. cap. 5. quæst. 3. & alij, tum quia id non impedit externam moralem præsentiam necessariam auditioni sacri, tum quia lectio horarum tendit ad eundem finem, scilicet ad mentem in Deum eleuandam, & non obstat, quò minus homo sufficientem attentionem præbere possit ad sacra mysteria.

Confir. libera recitatio rosarii communi sententiâ non impedit, & communissimo vsu vnusquisque censetur adimplere præceptum, qui tempore sacri legit rosarium: quod autem oratio sit præcepta, vel non præcepta est impertinens ad hoc, vt impediatur, vel non impediatur attentionem; ergo.

Vnde infero initiatum sacris ordinibus, item beneficiatum, obligatum ex voto, vel ex iniunctâ à sacerdote penitentia satisfacere præcepto audiendi sacrum, si in eo legat preces, quas legere tenetur; quia executio vnus præcepti non impedit executionem alterius.

D V B I V M VI.

Vtrum sint aliqua causa excusantes à præcepto audiendi sacrum?

216.

ESS E, & quidem plurimas patet ex summissis, & passim alijs authoribus, qui de hac re tractant. ex quibus facile perspicitur plurimis euentibus aliquem posse absque omni culpâ sacrum die Dominico, vel festo omittere, & hoc præceptum non ita rigide obligare, quin iustâ de causâ licet non vsque adeo graui liceat sacrum die Dominico, vel festo omittere. immò tot causâ à Doctoribus multiplicatur, vt videatur prudētis iudicio relinquendū quænam causâ sufficiat ad hoc, vt quis non teneatur sacro interesse die præcepto, & t omittat ignorantia inuincibilem præcepti, quæ inter Christianos paulò grandiores vix potest præsumi.

1. Inadvertentia inculpabilis dici festi excusat ab omni peccato.

Excusant impotentia physica adimplendi præceptum. vnde æger, constitutus in carcere, vel obfessus ita vt templum adire non possit, excusatur. Neque tantum excusatur is, qui inculpate ad has angustias est redactus, sed etiam is, qui suâ culpâ, vt qui ex ebrietate morbum contraxit, qui propter homicidium in carcerem est coniectus &c. quod etiam verum est, quâvis præuiderit, quòd sacrum diebus Dominicis, & festis audire non posset. nec etiam peccat contra hoc præceptum, quamvis negligat morbi curationem, liberationem ex carcere. Ad hoc genus pertinent, qui in mari versantur, nec

sacrum audire possunt, qui non tenentur Missam quam vocant siccam, audire. Ad idem pertinet ij, qui ita distant ab omni templo, in quo solet celebrari, vt illud adire nō possint. Censura etiam consimili ratione excusat, vnde non peccat excommunicatus sacrum non audiendo die Dominico, vel festo, quia in excommunicatione maiori (de qua est sermo) audire non potest. similiter non potest interdictus, qui non peccat, licet aduerterint se per censuram impediendos ab auditione sacri, neque etiam peccant ex hoc capite, quamvis negligant petere absolutionem à censura, quia præceptum de audienda Missa non censetur ita rigide obligare, vt etiam intuitu illius peccet quisquis peccatum committit, ex quo sequetur illum non posse audire sacrum, vel si non disponit se etiam remotè, vt possit sacrum die præcepto audire. id enim spectatis hominum moribus esset nimis graue, & ita expresse docent Nauarr. cap. 21. num. 3. Henriquez lib. 9. cap. 25. num. 11. & alij.

3. Excusat graueni alicuius momenti, quod incurritur Missam audiendo, eò quòd communi iudicio hoc præceptum non obliget cum aliquo detrimento. vnde qui timet probabile mortis periculum sibi imminere ex sacri auditione, excusatur ab audiendo sacro, vnde cumque illud accidat, siue ab hostibus, siue ab aëre infecto, similiter is, qui merito timet, ne in morbum incidat, ne retardetur recuperatio valetudinis, vel ne reincident in morbum. hinc ægroti varijs casibus excusari possunt ab audiendo sacro, item debiles, qui facile patiuntur ab aëre, similiter potest quis facile excusari tempore pestis, quia sæpe subest periculum grauioris morbi, præsertim quando pestis periculosa latè grassatur. Item, qui magnas difficultates deberet subire in itinere propter prolixitatem viæ &c. quod spectatâ conditione personæ debet iudicari.

Ad hoc etiam caput pertinet iactura bonorum, quia nemo tenetur cum suarum rerum iacturâ sacrum audire. vnde quâdo est iustus metus, ne fures tempore sacri sint venturi, non peccat, qui omisso sacro domi remanet ad rerum domesticarum custodiam. hinc excusantur opiliones, qui gregi suo inuigilant, quibus tamen cōsultum esset interdum alium ab hero substitui, ne semper priuentur sacro cum magno suo spiritali detrimento. Excusatur etiam, qui per viam à latronibus infessam debet iter facere, nec potest sacrum audire sine comitatus necessarii ad sui, & rerum suarum securitatem amissione.

Ex eodem capite excusantur, qui habent negotia alicuius momenti, quæ differri commodè non possunt, nec possunt commodè expediri, si sacrum audiatur. Item, qui perdet occasionem alicuius commodi notabilis, vt si pauper in itinere ab alijs mutriatur, quos cogetur relinquere, si sacrum audiat. Idem est iudicium de quouis commodo, quod prudenti iudicio censeretur possit alicuius momenti respectu personæ, de qua agitur. Excusantur etiam ij, qui timent rixas ratione loci, & ordinis: item qui merito timent aliquam honorem, vel famam iacturam, vel aliquam ab inimico iniuriam, similiter, qui non possunt audire sacrum cum decentia sui status, vt si vir honestus, vel honesta mulier non habeat vestes suo statui conuenientes.

Notandum si in varijs casibus ex recētis commodè possit occurrere incommodo, quod timetur, sacrum esse audiendum, vt si vir vel mulier possit notam euitare sacrum manē audiēdo, si hostis possit declinari, aliud templum adeundo, si sacrum

manē

Angel.

Silu.

Fumus.

Negant satisfacere

præcepto

de sacro,

quitépore

sacri legit

horas.

Affirmant

probabilius

Sot.

Tolet.

Suar.

Henriq.

Azor.

Causæ excusantes a sacro audiendo.

217.

Comitatur.

manè possit audiri sine iactura itineris quod quis vult ingredi

4. Excusatur aliquis ratione officij, quod præstare non potest sine sacri omissione, vnde Præfati areum, milites præsidarij, & similes sæpè excusantur ab auditione sacri.

5. Potest charitas excusare, vt si quis non possit infirmum, cui inseruit, sine periculo valetudinis deferere, item nutrix, vel mater, quæ non potest paruulos deferere sine periculo, & ita de similibus.

6. Obedientia, vnde excusantur famuli, vxor, proles, quos heri, maritus, parentes impediunt, quo minus sacrum audiant, qui tamen eos sine causâ impediunt, grauiter peccant contra hoc præceptum, & proinde seriò sunt monendi, vt suis permittant sacrum audire, immò illorum est inuigilare, vt audiant, nec possunt pro arbitrio sine iustâ causâ à sacro impedire.

7. Excusantur & ex, quæ iuxta patriæ consuetudinem tempore luctus, vel partus foras non prodeunt, quâ in re spectanda est loci consuetudo, & curandum vt extra eum non extendatur, quod si ad alia negotia foras prodeant, non excusantur ab audiendo sacro.

Hæc & similia passim à Doctores congeruntur, ex quibus facillè licet iudicare quando hoc præceptum non censeatur obligare.

His varij addunt, quando timetur alterius ruina, sed hoc caput alij reiciunt, eò quod non debeat negligi præceptum propter scandalum passuum seu acceptum, quod communis verum est, licet in aliquo casu propter proximi fragilitatem prior sententia locum habere possit.

QVÆSTIO LXXXIV.

De Sacramento Pœnitentie.



VAMVIS inter Sacramenta pœnitentia neque ordine dignitatis, neque institutionis quantum locum obtineat: conuenienter tamen D. Tho. quarto loco tractationem de eâ instituit, cum post considerationem sacramentorum, quibus homo in bono promouetur per spirituales generationem, accretionem, & nutritionem, commodè subsequatur Sacramentum, quo vitam spirituales, & perfectionem per peccatum deperditam recuperamus, quam ob causam etiam Concilia Sacramentum pœnitentiæ quarto loco recensent.

Quia verò pœnitentia non tantum est Sacramentum, sed etiam virtus, S. Tho. de illâ sub vtraque consideratione pertractat. & quamvis præsentî quæstione agat de illâ sub priori consideratione, quia tamen ratio virtutis est communior, cum in omni lege virtus pœnitentiæ fuerit, & quia ordo variâ eorundem repetitione turbaretur, commodius visum est prius de virtute pœnitentiæ iuxta naturæ, & doctrinæ ordinem agere, & examen eorum, quæ S. Doctor tradit præsentî quæstione, in additiones reicere, vbi ex professo de pœnitentiæ Sacramento est agendum.

QVÆSTIO LXXXV.

De Sacramento Pœnitentie secundum quod est virtus.

ARTICVLVS I.

Verum Pœnitentia sit virtus?

NOTANDVM S. Tho. non velle quærere, num omnis pœnitentia sit virtutis actus, & num omnis habitus inclinans ad actum pœnitentiæ sit virtus: sed num saltem aliquis habitus inclinans ad pœnitentiam de peccatis agendam sit virtus, & actus illi respondens sit actus virtutis?

Cum enim peccatum non tantum possit considerari, vt Dei iniuria, vel vt repugnans eius bonitati, item, prout impedit hominem à gloria cælesti, vel iuxta varias alias rationes, de quibus in sequentibus; sed sint aliqua peccata, quæ causant infamiam apud homines, vel damna temporalia, sub quibus rationibus homo possit dolere de peccato, quamuis de cætero ipsum peccatum secundum se placeat, satis constat huiusmodi pœnitentiam non esse actum virtutis. talis fuit pœnitentia Antiochi, de qua 2. Machabæorum 9. constat etiam eam pœnitentiam nec esse laudabilem, nec virtutis actum, vel habitum, ex quâ homo ad desperationem moueatur, qualis fuit pœnitentia Iudæ Matth. 27. hoc prænotato

Conclusio S. Tho. est affirmatiua, quam probat in argumento, sed contra, ex eo quod præcepta (adde & consilia) dentur de actibus virtutum, scripturæ autem passim nos hortentur ad agendam pœnitentiam, eamque præcipiant, vt Matth. 4. Pœnitentiam agite. Lucæ 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. cap. 13. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis, & alibi.

Probatur etiam ratione: honestum est, & rationi consentaneum dolere de peccato, illudque detestari, siue spectetur vt contrarium rationi, siue secundum suam deformitatem specificam, siue vt est Dei offensa &c. igitur habitus ad illam inclinans est honestus & habitus virtutis. vbi

Aduerte ex S. Tho. responsione ad 3. hominem per pœnitentiam non eò tendere, vel conari, vt peccatum non sit commissum, vel vt reddatur infectum; id enim esset insulsum, vt optimè Dignus Tho. cum factum infectum reddi nequeat: sed ad hoc dolere de peccato, illudque detestari, & pœnas de eo sumere, vt ostendat illud sibi displicere, & quantum in se est, velle illud retractare: atque adeo, si in eius situm esset potestate, velle illud infectum.

Porro hæc nullam dicunt indecentiam, sed sunt rationi maximè consentanea, quæ patent in eo, qui principem offendit, qui prudentum iudicio laudabiliter dolet de huiusmodi offensâ, eamque per sui humiliationem, & petitionem veniæ cœsetur moraliter retractare.

Ex his sequitur 1. nomen pœnitentiæ nullo modo esse reiiciendum.

Sequitur 2. pœnitentiam non esse nudam reformationem, seu mentis mutationem, vtrumque